

si obsequens sit. Deinde per Antithesin rursus vituperat, si non obsequatur, eaq; in re utitur plurimis comparationibus diversarum rerum. Postremo hortatur illam ad se amandum, ab utili & à jucundo, recensens precipuas a-grestium hominum opes ac voluptates: seq; etiam commen-dat à sua ipsius forma, à mole corporis, ab orbiculato o-culo, atq; à nobilitate generis.

Et sic quoque erat tamen Acis in annem, &c.

Acis fluvius Siciliae, nunc vulgo appellatur Frigidus: nec longe à Taurominiis annis ostio influit in mare: sicut Marius Aretius Syracusanus testatur in libello de situ insulae Siciliae.

FAB. IX. DESIERAT GALATEA &c.

De Glaucō in Deum marinum.

Erasmus Roterodamus in proverbio, Glaucus correpta herba habitat in mari, refert ex Graecis autoribus hunc Glaucum fuisse Anthedonium piscatorem, natandi peritissimum, & commentum esse imposturam ejusmodi: enata esse è portu spectantibus Anthedoniis donec jam extra pro-spectum esset: ibi reversum in terram, secessisse in locum aliquem semotum, atq; in eo dies aliquot commoratum esse: deinde redisse nantem in portum spectantibus iis, qui sta-bant in littore. Mirantibus autem amicis & sciscitantibus, ubinam gentium tam diu commoratus esset, illum simulasse sese interim fuisse in marinis fluctibus. Tandem evenisse, ut à belua marina devoraretur: cumq; ex more non rediret, jactatum esse populi fama, Glaucum gustata herba factum immortalem, & in mari vitam agere. Si-milem ferè historiam refert Iovianus Pontanus, qui tra-dit suis temporibus fuisse hominem cognomento Colam, plus in aquis quam in terris vivere solitum: nec potuisse spirare, si diu abfuisset ab aquis, haud secus ac beluam marinam. Hunc nauo tantum profecisse, ut auderet se committere pelago magnis tempestatibus commoto, ac spatium quin-

Glaucus &
Cola pesca-
tores, &
natandi pe-
ricissimi.

genti-